

Universitätsbibliothek Wuppertal

Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Vorwort (Dionysius Gothofredus)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1733)



DIONYSIVS GOTHOFRE- DVS I. C. LECTORI.



VM ab Eustathio Vignon Ius civile in publi-
 cum emittendum esset, isque peteret ut qua tan-
 to operi lucem paucis allatura esset scirem, et ha-
 berem, studiosis ea traderem: iustamque illius
 petitionem viderem: dicebam tamen fieri non pos-
 se, ut id à me consequeretur, eoque magis quod
 cum paucis ea perfici desideraret, tum maxime
 quod absolutum penè opus iam monstraret,
 cui poliendo et illustrando Iulius Pacius Iuris Antecessor plurimum o-
 peram iam posuisset, et eam quidem, quae possit doctissimo cuique sufficere.
 cumque ille urgeret acrius, putavi non fore inutile ut omnium Iuris ti-
 tulum series quae et ordinis à Iurisconsulto observati rationem, et eo-
 rum titulum qui difficiliore essent brevem interpretationem contine-
 ret, Lectori tanquam in tabula proponeretur, ut priusquam ad immen-
 sam Pandectarum et Codicis atque etiam ipsarum Institutionum le-
 ctionem studiosi properarent, Iuris Romani quandam animo anticipa-
 tionem haberent. Neque verò ignorabam à Cuiacio praesertim et Ves-
 sembecio doctissimis Iurisconsultis nonnulla, quae huius essent generis, iu-
 stis voluminibus conscripta fuisse, sed quae propter magnam et abscondi-
 tam rerum utilium et varietatem et copiam aut à doctis tantum lege-
 rentur aut iustorum commentariorum loco essent his qui iam in ipsius
 Iuris Romani lectione versarentur. sed studiosis profuturum sit necne,
 quod hic molior, Lector exquisitissimus ipsa lectione animadvertet. Ausim
 tamen polliceri plus illi commodi accessurum ex hac ordinis à Iuriscon-
 sulto observati notatione, quam ex nuda titulum serie quae ante hac
 sola legebatur. Quod si hac cuiquam opera profuerit, hoc volui. sin mi-
 nus, animus certè iuvandi Lectoris non defuit. Has autem notas inserui
 (* †: ut in quibus vel ab ipso Iurisconsulto vel ipsis Iuris descriptori-
 bus tituli non suo loco positi essent, suo redderentur, ut 9. 10. et 11. Pan-
 dectarum Lector animadvertet. Vale.